



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Originvm Monasticarvm Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Cap. IV. De Societate Iesu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11249**

## CAPVT III.

*De Theatinorum origine.*

**C**Lericorum Regularium, quos Theatinos vocant, ordinem instituit Ioannes Petrus Caraffa, qui postea Paulus IV. Papa est appellatus. Is & generis nobilitate, & litterarum eruditione spectatissimus, cum esset Theatinus in regno Neapolitano Episcopus, relicto Episcopatu, cum alijs tribus æquè pijs ac nobilibus viris, Caietano Thianæo, Bonifacio à Colle, & Paulo consiliario, familiam regularem, ab Episcopo ceteris clariore Theatinam dictam, Condidit. De Paulo IV. & tribus eius socijs exstant Collectanea Historica, per Antonium Caraccioli, eiusdem sodalitijs clericum, an. 1612. Coloniae publicata. Theatinorum institutum anno 1524. Clemens VII. confirmauit.

## CAPVT IV.

*De Societate Iesu.*

**S**ocietas Iesu, magno vniuersæ Ecclesiæ bono, per totum terrarum orbem diffusa, conditorem post Deum agnoscit  
Bea-

Beatum Ignatium Loiolam, nobili genere apud Cantabros natum: qui anno 1534. socios aliquot sibi primùm adiunxit. Ipsam societatem Paulus III. Papa anno 1540. confirmavit, diplomate solemni edito. Eius Historiam elegantissimo stylo conscripsit Nicolaus Orlandinus.

Ad meliorem porrò vitam anno 1555. Ignatius transfijt, à Paulo V. Papa anno 1609. inter Beatos relatus. Vitam eius litteris consignarunt Ribadineira & Maffei.

Ceterùm hoc Societati proprium est, perpetuò suos, sponse voti addita, habere promptos ad obsequium Rom. Pontificis, vt quocumque ille iusserit Euangelij causa, sine recusatione contendant. Proprium item, toto orbe terrarum gymnasia aperire, ad iuventutem non modò liberalibus disciplinis, verùm etiã Christianis moribus imbuendam. Proprium denique, catechesim seu Christiane doctrinæ elementa pueris & imperitæ multitudini passim tradere.

\* \* \*

\* \*

S 4

CA-